



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 30. Deputati ad Loviodunense Conciliabulum a Rege missi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](#)

**Sæcul. XVI.** Delphinatum decernebantur, qui ha-  
A.C. 1596. rum ditionum Calvinistas congrega-  
rent, eosque adigerent, ut & ipsi hanc  
unionem Lovioduni sancitam jurejuran-  
do firmarent.

§. XXX.

*Deputati ad Loviodunense Concilia-  
bulum a Rege missi.*

Cum ergo juxta hujus foederis arti-  
culos in omnibus Provinciis Regis  
Æraria a Calvinistis spoliarentur, &  
ubique milites conscriberentur, hinc  
Rex, qui tum Abbatis - villæ agebat, se  
omnibus tam militum, quam pecuniarum  
subsidiis, quibus tum in Picardia ad  
regni sui defensionem summopere indi-  
guisset, destitutum cernebat: sub idem  
vero tempus Plessius de omnibus huc-  
usque Lovioduni agitatis Regem cer-  
tiorem reddens, eundem hortabatur,  
ut funestis ex hac Calvinistarum unio-  
ne orituris tumultibus obviaturus  
quædam illis indulgeret. Henricus  
soluto eorum conventu in Provin-  
ciis seditionem conflari veritus, Eme-  
ricum Vicum Religione Catholicum,  
& Sofredum Calignonum Hugonottam  
Loviodunum die nona Julii ablegabat,  
qui de Calvinistarum petulantia que-  
rentes Pictaviense edictum urgerent,  
simulque sponderent, quod Rex in illis  
urbi-

urbibus, in quibus juxta nova pacta **Sæcul. XVI.**  
spuriæ reformationis usus fuit abolitus, **A.C. 1596.**  
alio modo prospicere vellet. Ast Lo-  
viiodunenses aucta temeritate vicissim  
expostulabant, quod Rex utriusque huic  
Deputato adeo restrictam agendi facul-  
tatem dedisset: porro idem Rex mox  
utrumque ad eorum conventum remit-  
tens per eos hæc proponi voluit. I.  
Præsidia vestra alere nequeo; si enim  
id vobis indulgerem, æquiori jure hanc  
gratiam Catholicis harum ditionum  
Urbibus facere cogerer, utrumque ta-  
men extrema, qua labore, pecunia-  
rum penuria vetat. II. Hunc vestrum  
conventum Vindocinum, aut Ger-  
golium ad urbes tam mihi, quam meis  
Deputatis accessu magis faciles trans-  
ferte. III. Denuntio vobis, quod tunc,  
si regiæ meæ auctoritatis jura adeo  
petulanter usurpare pergitis, contra  
vos tanquam rebelles extrema media  
adhibiturus sim. Ad hæc Loviodunen-  
ses Hugonottæ, quamvis se in Regiæ  
auctoritatis jura involasse, diffiteri non  
auderent, neglectis ceteris, quæ Hen-  
ricus ab eis petebat, unice conventum  
ad Vindocinensem urbem transferebant.

§. XXXI.

*Rothomagenis Conventus.*

*Hist. Ecclesi. Tom. LII.* E Præ-